2

Q. D. B. V.

THESES INAUGURALES MEDICO-CHIRURGICÆ,

Quas ex Decreto Gratiosæ Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE

D. RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

Medicinæ Professore Ordinario,

Patrono suo Honoratissimo,

Pro

LICENTIA,

Gradum Doctoris in Medicinâ & Chirurgiâ legitimè consequendi,

Publico Eruditorum Examini submittit

LEONHARDUS HURTERUS,

Scaphusâ-Helvetius.

Ad diem Martii, hor. locoq; sol.

TUBINGÆ.

ANNO MDCCVIII.

Literis JOH. CONRADI EITELII.

Viro Illuſtri & Excellentiſsimo,

DOMINO,

JOHANNI JACOBO MEJERO,

de Mejenburg/

Sereniſs. Würtembergiæ Ducis, & Diverſor. S. R. Imp. Magnatum Archiatro Celeberrimo,

Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Collegæ Meritiſsimo,

Domino ſuo Avunculo, Præceptori, & Patrono ſummè Venerando,

Theſes ſuas Inaugurales dedicat,

Cùm ſubmiſsâ gratiarum actione

Pro innumeris beneficiis,

In perpetuam ſui commendationem,


Autor & Reſpondens.



Σ. Θ.



Eniens modò à Nosocomiis ad Academiam, à castris ad cathedram, à curationibus ad disputationem, videbar mihi omnium optimè facturus, si Dominis meis Opponentibus Exoptatissimis proposuero non tàm cogitationes aliorum quàm proprias observationes, idq; animo etiam non tam docendi quàm audiendi judicia doctiorum & peritiorum, ut per reflexiones penes animum meum super operationes præteritas proficiam ad agendum posthac eo meliùs res meas. Faveat huic instituto Divina Bonitas, quæ clementer adeò mihi adfuit in bellorum & morborum turbis & periculis! Velit ô utinam porrò esse me organon suæ misericordiæ pro sublevandis ægris! Tu autem B. L. fave, & quicunque meliora docueris habe vel in antecessum gratias, non sine voto, ut valeas & vivas liber & immunis à morbis, quos passim minantur causæ totuplices!



DECAS
Thes. Medico-Chirurgicarum.

I.

Non est universale, ubi fissum fuit à violentiâ externâ cranium, ibi semper sequi vomitus biliosos, effluxum sanguinis ex naribus & auribus, surditatem, convulsiones & id genus alia. Vice versâ, non absolutè statui potest, ubi ab ictu vel casu vel ab aliâ quâdam causâ violentâ vomitus, privatio sensuum, & convulsiones sequuntur, semper adesse fissuram vel fracturam cranii.

Juvabit hasce theses, cum sequentibus, declarare & confirmare per suas historias: In obsidione primâ Landavii contigit, militem in cuniculis apertis globulo ita vulnerari trajectim, sed obliquè, ut aliquale vulnus, quod magni non æstimabat, super os bregmatis sinistri haud procul à conjunctione suturæ sagittalis cum coronali reportarit. In castra reversus ad Chirurgum suæ centuriæ sese confert, ut ab illo sese obligari curaret. Quo superficialiter facto, sauciatus eâdem methodo per aliquot dies sed sine fructu tractabatur. Forte fortuna superveniens specillo exploravi, & vulnus haud simplex sed cum fissurâ cranii conjunctum esse perspexi, utut sine istis symptomatibus, quæ vel à commotione cerebri statim, vel à pressione, irritatione, inflammatione ipsius aut meningum, ob effusum cruorem vel abscedentes festucas, suboriri aliâs solent; unde in nosocomium nostrum castrense est missus, & statim al-

terâ die ſecundum artem inciſionem inſtar crucis ſuſtinuit. Nudato cranio res fuit propalam: ſiquidem iſtic fiſſura erat cranii haud mediocris magnitudinis, unde non tam propter ſtatum præſentem, quàm metuendum futurum trepanatione opus erat, poſt quam feliciter peractam æger tàm internis quàm externis ſecundum artem tractatus intra ſex hebdomadas ſanitati fuit reſtitutus.

Ad alteram theſeos partem hoc ſpectat: Cùm Argentinæ quondam Xenodochium Gallorum frequentarem, interveni, cùm hortulanus quidam inter jocandum ab ancilla ruſtica in oſſis frontis partem ſuperiorem & exteriorem lapide percuteretur, undè leviſſime quidem ſauciatus, ita ut extrema cutis ſolummodò perſtringeretur, tamen quaſi fulmine ictus ſtatim ad terram defluxerat, nec per 6. horas ad ſe redierat. Inter hæc Vomitus enormes, & biliosi, nec minùs horrendæ convulſiones ſequutæ ſunt, & frendebat valdè dentibus, ut unusquisque credidiſſet, paulo poſt ad plures eſſe migraturum. Domum verò vectus ſtatim lecto jam calefacto imponebatur, vena aperiebatur, ſpirituoſa remedia, & quicquid ad excitandum valere poterat, miniſtrabantur. Quia jam nox appetebat, inciſio in craſtinum diem fuit dilata, ut deinde trepanatio inſtitueretur, cùm omnes de fiſſurâ ſuſpicarentur. Accidit verò, ut circa mediam noctem ex ſtatu tam ancipiti ſpontè liber à diris iſtis ſymptomatibus expergiſceret, & cibum ab adſtantibus expeteret. Interrogatus ab amicis, quo modo ſeſe habeat, reſpondit, ſe bene valere & in craſtinum diem in rus ſeſe recepturum eſſe, quod etiam fuit factum, nihil enim porro doloris ſenſit, nec unquam poſthac: miro exemplo commotionis cerebri, apparenter parvæ, gravium tamen affectuum cauſæ, (cui enim alii principio illos imputavero) citò & feliciter reſtitutæ, non in tantum, ſed in totum.

 II. *Ubi*

II.

Vbi cranium detrimentum fuit passum, isthîc per carnem quandam à durâ meninge progerminantem, & osseam duritiem cum tempore obtinentem, resarcitur. Cranium verò sicubi à cute & pericranio fuerit denudatum, paucis diebus ne ab aëre externo afficiatur, carne quâdam investiente obduci potest.

Civis inter pocula à milite ictum gladii recepit super os bregmatis sinistri, sic ut penè palmæ latitudine cum annexâ cute dependeret, & indè dura meninx tota nuda in conspectum veniret; Hîc, quoniam pars cranii non in totum erat abscissa, sed suâ extremitate cranio in tantum adhuc annexa, credidi ipsam fortè apta conjunctione adhuc posse reuniri; sed frustra, cùm Vulnus non liceret satis jungere, imò quandoque oporteret parum dilatari, ut materia & sanguis duræ meningi incumbens, malè ipsam gravaturus, aut infecturus, eximi posset. Interim pars illa cranii propemodum abscissa post tres septimanas facili negotio instrumento auferri potuit, penè sua sponte à cranio secedens. Abhinc autem totum illud spatium sensim sensimq; carne quâdam ex durâ meninge succrescente occupatum & occlusum, eo ipso permisit cute adhuc integra totum vulnus plenè obtegi & consolidari. Sicuti autem cranii foramen oppletur aut ablata portio restauratur; Ita cranium fortè nudum è sua substantia carnem sese obtegentem, ne ab aëre externo lædatur, progignit, uti sequens historia docet: Miles quidam ab alio milite fuste percutiebatur eâ violentiâ, ut in osse bregmatis dextri tumor ovo anserino æqualis elevaretur. Oportuit ergò aperire tumorem istum, ut sanguis contentus & extravasatus effluerct; Ut autem periculum etiam omne effugeret, & ne lupus in stabulo remaneret, cranium denudavi à pericranio, ut si fissura quædam lateret, illa decenti methodo tra-

ctari

ctari posset; Quum verò ne minimum fissuræ deprehenderetur, nec suspecta oborirentur symptomata, quantocyus operam mihi dandam censui, ut cranium mox iterum obtegerem: Hîc ergo sequutus methodum Cl. Belloste per trepanum acu instructum hinc & inde Cranium diploen usque perforavi, & hac methodo paucis diebus cranium iterum carne vidi obductum, aëre interim nihil quicquam munditiem cranii alterante aut corrumpente.

III.

Sunt cavitates interdùm in ossis frontis parte inferiore, super orbitas oculorum cavæ, ibi si contingat cranii laminam exteriorem effringi, sic ut spatium quoddam per detrimentum fuerit factum, non citius sanabitur vulnus, quàm illud carne ab interiori parte fuerit repletum.

Miles in discrimine globulo fuit trajectus per superiorem orbitæ oculi dextri partem, seu basin ossis frontis: sic ut fractura transversim secundum ductum superciliorum fuerit facta. Cùm à Chirurgo suæ Centuriæ per aliquot hebdomadas fuisset tractatus, & vulnus non magni momenti æstimaretur, nec tamen ab illo curari posset, tandem in Nosocomium castrense fuit perductus. Examinato vulnere per specillum, animadverti multa ossis fragmenta curationis obstacula, idcirco incisionem institui transversam secundum tractum superciliorum; ut in conspectum fractura veniret. Quo facto diversæ magnitudinis ossis frustula eximi poterant. Patuit hinc læsio ad usque unam illarum cavitatum, quæ non æquè in omnibus, sed in quibusdam craniis majores adsunt, quâ conspectâ diu dubitavi, quid hâc in re fieri deberet, anceps autem hærens animadverti, quod natura, quæ aliàs pro individui conservatione dicitur & notatur sollicita, post quartam hebdomadam carnem sub applicatione debitâ medicamentorum intus forâs cre-

scen-

ſcentem produceret. Hanc ergo ſequens, juvans, cavitatis illius poſtquam obtinuiſſem oppletionem vulnus poſthac externum brevi temporis ſpatio ad finem potui perducere, & liberare etiam ægrum à fluxu puris ex oculo ſub palpebrâ prius tumefactâ.

IV.

Oculi totius antici Pannus remediis externis mercurialibus ſine damno, interdum auferri poteſt, ut experientiâ didici.

Adoleſcenti ſedecim annorum, ſtaturæ procerioris, acuti ingenii, temperamenti ſanguinei, obducebatur pannis brevi admodum tempore uterque oculus, ex cauſa non ſatis nota. Tale & tantum erat hoc velamen, ut neque tunica adnata neque cornea amplius poſſet diſtingui, ſed inſtar carnis recentis apparerent omnia. Parentes tali malo valde afflicti, undique auxilium quærebant, ſed fruſtra, inter has querelas incidunt in virum alias bonæ fidei, qui filiolam XII annorum habuerat ante ſemeſtre conſimili malo etiam correptam, ſed jam reſtitutam. Magno itaque affecti gaudio intenſè eum rogabant, ut ipſis in ſua calamitate quantum liceret auxilium afferret, quare miſericordia commotus illis formulam medicamenti ex unguento roſaceo & mercurii præcipitati rubri unâ parte vigeſimâ quartâ compoſiti communicavit; hoc unguentum ſingulis diebus mane ac veſperi piſi magnitudine ſindoni vel linteo tenerrimo incluſum hiatibus palpebrarum applicabatur, ſimul oculi aptis faſciis & linteis ne lumen noxam afferret firmabantur, exhibitis interim ſingulis menſibus pilulis purgantibus cephalicis ita dictis. Hac Methodo puer tribus menſibus ſanitati fuit reſtitutus & adhuc quantum ſcio ſanus eſt.

V. *Her-*

V.

Herniæ quædam intestinales victu tenui, quiete, medicamentis & commodo subligaculo interdum sine sectione curari, sæpius sic satis commodè tolerari possunt. Herniotomia est aliquando infida curatio, & eam perpessi, etiam sanati, tamen versantur in periculo recidivæ periculosioris.

Novi Virum Nobilem qui per duodecim annos à juventute herniâ intestinali laboraverat, cui videbatur necessum certâ de causâ uti victu tenuissimo, (die Hunger Cur) & per aliquot hebdomadas maximam partem lecto affigi, non tam propter herniam illam intestinalem, quam propter alium affectum, qui hæc requireret & postularet. Huic tam felici licuit esse, ut finito tenuis victûs tempore hernia illa præter intentionem simul evanuerit, nec amplius ad hoc usque tempus vel minimum in conspectum redierit: Ad exemplum illius Consulis Bernensis apud Fabr. Hildanum. Ex alterâ parte Militem novi, qui ante aliquot annos herniotomiam fuit perpessus, sed cui jam eodem latere, ubi cicatrix prioris vulneris herniæ, intestina iterum prorumpere conantur, ut nisi commodo subligaculo prolapsum præmuniverit, gravius videatur periclitari, & eo modo, quo à fidedigno Chirurgo accepi obiisse rusticum post annum ab operatione, cùm improvidè scamnum esset ascensurus, prolapsis per disruptam cicatricem cum impetu intestinis, irreparabili damno, ad mortem tertiâ inde horâ subsequutam. Commodum autem instrumentum pro coercendâ herniâ illud habeo, quod ex benè temperato chalybe paratur, accuratè conveniens cingendo medio homini, cum laminâ anticâ, per cochleæ gyros ad exigentiam ventris & sitûs corporis, deprimendâ: sed hæc non tam possunt dici, quàm monstrari.

VI.

Hydrocele aliquando speciem Sarcocelès assumit & repræsentat, ut ab hâc difficulter distingui possit.

Librator Tormentarius in discrimine fugam capessere coactus, & inter fugiendum prostratus, ab equitatu valdè fuerat conculcatus. Abhinc quidem statim aliquo modo partes genitales intumuerunt, & per tres menses, sensim tamen magis magisque Scrotum cum testiculo dextro in extraordinariam magnitudinem excrevit, in quâ deinde perstitit. Diu à diversis Medicis & Chirurgis fuerat disputatum, qualis isthæc esset hernia & quo nomine esset appellanda. A quibusdam pro Sarcocele habebatur, ab aliis verò hernia intestinalis esse judicabatur; tumor enim non erat mollis & pellucidus, ut aliquando conspicitur hydrocele, ad lucem candelæ appositæ, sed hic durus fuit & renitebatur. Signum, quo certior fierem affectûs, habui in fundo scroti: Scrotum enim compressum eo modo in fundo sese habebat, sicuti vesica aqua repleta, aliquem fluctuationis sensum ibi offerens, nisi quòd aqua istic profunde latuerit, ut difficulter cognosci posset. Malo itaque ultra annum protracto, incisio vel tandem fuit instituta, effluentibus quidem primò paucis cochlearibus aquæ claræ, cruore mox suffusæ, cum madore tamen & stillicidio porro largiori per supervenientem suppurationem, sub quâ contrahi scrotum, minui tumor testiculi cœpit, ad naturalem magnitudinem post quatuor septimanas recuperatam.

VII.

Visus fuit terebinthinæ solius nimius usus gonorrhœam virulentam non tàm sustulisse, quàm superinduxisse testiculum Venereum.

Qui ab amplexu impuro Gonorrhœam reportaverat, curationi cujusdam Chirurgi recens adhuc malum commisit, & obtinuit ab ipso, missis refrigerantibus, statim Terebinthinam cum aquis destillatis & vitello ovi in emulsionis formam, item in pilulas, sine tamen sistentibus, redactam: Quid contigit? aliquibus diebus pòst, ex quo dicta Medicamenta assumserat, testiculus dexter intumescebat. Chirurgus aliàs uti res est propalam horum morborum non satis peritus, nesciebat illa medicamenta hunc affectum causari potuisse. Idcirco ægrotantem cordatè est allocutus, ut bonæ esset spei, & promittebat hoc accidens iterum sua sponte esse cessaturum. Indies autem horum Medicamentorum usu tumor accrescebat. Idcircò omissâ vel tandem hujus methodo, alia quærere & experiri cœpit, & perrexit, sed medelam non invenit mali pertinacioris. Cùm enim aliis per interna diuresin moventia, per & externa cataplasmata s. epithemata, tales testiculi Venerei soleant reduci in statum pristinum: isti perferendus erat tumor in alterum annum, & subeunda ultimò Mercurialis salivatio; non sine successu tamen, quippe sub & à quâ demum obtentum fuit molis præternaturalis decrementum.

VIII.

Magna observatur differentia in curatione gonorrhϾ virulentæ, dum quædam individua ita satis facilè, alia difficilimè, imò ne

ne heroicis quidem medicamentis ab eâ liberari solent, aut liberati visi facilè patiuntur recidivam.

Specimen tentaminum omnis generis & plurimorum, tamen frustraneorum, atque adeò singularis pertinaciæ, audivi ex quodam, quem virulenta fluxio tenuit & gravius & diutiùs, quàm plures socios, & quem destituerunt & metho dus & medicamenta, quibus inclaruerat Chirurgus, cujus primùm curæ se commiserat. Adhibitis enim & absolutis remediis, quibus ille antehac permultas gonorrhœas fugasse & radicitus exstirpasse dicebatur, hic tamen permansit in statu suo tristi & tædioso. Ejus impatiens & medicamentorum in dies deglutiendorum pertæsus, extrema pati decrevit. Idcirco salivationem provocare jussit, & eam sustinuit, sed frustrà. Siquidem gonorrhœa in eodem coloris gradu & mole perseveravit; quod quidem & aliis obtigisse alibi docemur à Sydenhamo. Posthæc aquæ minerales s. Thermæ Carolinæ etiam sunt adhibitæ, quæ quidem uti apparebat, plus præstiterunt quam antecedentia remedia, dum color materiæ viridis in flavum & ex flavo in albissimum sese mutaverat, & fluxus tandem planè evanuit, sic ut magna lætitia, sed nimis præcoci, fuerit affectus; nam recidivus post paucos dies iterum fuit factus, & materia tantâ mole rursum effluere cœpit, ac nunquam antehac.

Liceat hâc occasione meminisse phænomeni rarioris, quod præbuit hic ipse nobilis, equitatione, complexu, aliisque occasionibus tot recidivas expertus. Scilicet à simili motu aliqando per triduum sustinuit jugem & largum fluxum materiæ non communis, ordinariæ, sed aquæ instar tenuis, claræ, inodoræ, cum dolore horrendo inter mingendum, &c. profuere ipsi tum injectiones, & per gradus indè

cœpit

cœpit decreſcere gonorrhœa ad novam ſpem, ſed iterum non firmam, quin more ſolito infidam, præprimis apud tales calidos, rubicundos, multi ſanguinis & ſeminis, non obſtante inveterato fluxu & cum ipsâ fiſtulosâ diſpoſitione adhuc tamen venereos.

IX.

Mercurius poſt inunctionem in corpore remanens, ſalivatione per eum non obtentâ, ope Auri, uti quidam exiſtimant, non ſemper ita facilè, è corpore fugatur.

Iterum exemplo fuit non è vulgo quidam Lue Venerea infectus, temperamenti quidem phlegmatici, & habitûs corporis obeſi atque ſubtumidi; Qui cùm opem expeteret tàm à Medicis quàm á Chirurgis, ab illis collegialiter fuit decretum, ſuſtinendam ipſi eſſe curationem ſalivatoriam. Conſenſit æger & ſubiit nolens volens; cùm autem certâ doſi unguenti ☿ialis aliàs ſalivationem procurante fuerat inunctus ritè, ne indicium tamen futuræ ſalivationis præbuit. Doſis mercurii exaugebatur, & inungebatur porrò æger ſecundâ non modo vice, ſed inſuper tertiâ, omnibus tamen irritis, ſine exoptato ptyaliſmo, confirmans illud Sydenhami: certis perſonis ipſo mercurio difficulter vel planè non ſalivam poſſe moveri. Interim hic, per mercurium fruſtrà tentatus, obnoxius fit diro capitis dolori, per annum & quod excedit graviter adeò ſævienti, ut ſæpiùs extremum ſibi diem optarit æger, præcipuè, quia juxta proverbium nulla calamitas ſola: præter enim hanc paſſionem ſuperam, privabatur ſimul brachiorum atque pedum movendi potentiâ. Varia indè medicamenta adverſus tàm dolorem quàm mercurium è corpore expellendum, & inprimis ex auro parata, adhibebantur; ſed incaſſum. Tandem benigniori fato commendatum fuit ægro decoctum

cvporiston ex paucis radicibus, cum balneo laconico: Horum utique usu plus obtinuit, quàm nobili metallo, præsentissimam enim opem inde persensit, & recupeavit non modo movendi potentiam, sed etiam diebus non multis hâc methodo ab atroci liberatus fuit cephalæâ istâ, etiamsi mercurium alicubi prodiisse non constiterit.

X.

Facilior succedit curatio Exostoseon, s. Gummatum Gallicorum, si post sectionem ipsis applicetur remedium externum appropriatum.

Miles à lue Venereâ jam in eum morbi statum devenerat, ut in capite & tibiâ alterâ tophos ostenderet; huic varia topica medicamenta sunt admota, sed sine ullo fructu. Interna medicamenta haud pauca deglutiebantur, sed etiam incassum. Interim ægrotans sanitatis cupidus extrema perpeti decrevit; idcirco transversim sectione institutâ cœpi applicare frustulum radicis cujusdam, nec exoticæ nec pretiosæ, siccum, quæ singularem suam efficaciam hoc ipso evidenter comprobavit, quòd procurato largo indè liquoris effluxu tumor subsidere cœperit, imò continuatâ istâ methodo post tres hebdomadas ab istis gummatibus æger planè fuerit liberatus.

COROLLARIA.

I.

QVi fissuram accepit penetrantem transversim per suturam sagittalem, opus habet trepanatione ad latus utrumq;.

III. Ca-

II.

Capillos ægri ictu sclopeti, fissura cranii tædiosissimè incantamenti (ut loquuntur) instar impactos, cum admiratione aliquando vidi.

III.

Quæ non modo junioribus, sed & senibus interdum ex aure manare solet materia, natura relinquatur, ne suppressa gravius quid inferat.

IV.

A defectu uvulæ non semper læsio loquelæ; Periculum tamen phthiseos.

V.

Humerus in suo articulo plerumq; à sclopeti globulo vulneratur lethaliter.

VI.

Pulmones globulo trajici aliquando sine vitæ discrimine, & feliciter posse curari, experientia docuit.

VII.

Liberatus Vir à Sarcomate super pectus, mihi comprobavit laudem gummi galb. & ammon.

VII.

Cancer Venereus facilius cedit mercurialibus lenissimè corrosivis, quam fortissimis causticis.

IX.

Ulcera & fistulæ tanquam longo tempore jam facta corporis emunctoria, non temere sunt sananda.

X.

Trifolio fibrino junxisse Pinum profuit militibus ad rhenum scorbuticis cum liviais cruribus &c. Imò forte fortuna uni eorum simul cum testiculo Venereo.

SOLI DEO GLORIA.

QUod separant plures, prudenter jungere tentas,
Vulnera sanando mente simulque manu.
Perge bonis avibus: dabit incrementa Supremum
Numen & in terris undique faustus eris.

p. l. mq; Clarissimo Dn. Lic.
Joh. Wolfgang Jäger, Cancell. Tubing.

QUàm benè conveniunt laudes Medico-Cheirurgi,
Dexteritas manuum, judicii bonitas.

Accinit Candidato gratulabundus
PRÆSES.

NOlo HURTERE Tuas operoso extollere laudes
Carmine, sed paucis dicere multa volo;
Dulcia non meruit, qui non gustavit amara,
Nulli per ventos assa columba venit;
Multa ubi pertulimus, sudavimus, alsimus, omnes
Per Varios casus præmia digna manent,
Facta Virum monstrant TE Chirurgumque peritum,
Et posthac faustam Fata viam invenient!

Paucis hisce Clarissimo atq; Meritissimo Dno Licentiato Respondenti, Amico & Convictori suo charissimo qualibet felicia animitus precatur
Joh. Adam Osiander, D. Prof. Serenis. Würtemb. Ducis Extraordinarius, & Poliater Tubingensis.

CHirurgi Medicíq; operas quas præstitit Hurter
Dexteritate pari, *Mars* & *Apollo* probant.
Pro meritis Ipsum mox cinget purpura; lætus
Interea applaudo, prospera quæque precans.

bona fide manuq; in honorem Præclarissimi Dn. Candidati contulit
Jacob. Wendel. Simonius, Medic. Candidatus, Lithotomus, & Chirurgus.

AD virtutis iter *gaudet patientia duris*
HURTERI exemplo castra per & studia,
De quo vera loquor: *tandem bona causa triumphat.*
Atque Viros magnos Gloria magna manet.

Nobilissimo atq; Clarissimo Dno Licentiato, Fautori & Amico suo honoratissimo, Conterraneo atq; per paucas hebdomadas Commensali perdilecto grat. scrib.
Henricus Screta, Schottnovius à Zavorzitz, Scaph. Helv.